



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXIX. De formula orandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## INCERTI AVCTORIS.

511

fructum acquisierit: & si quis forte nostro indiget adiutorio, nos cum caritate nihilo minus ei pro viribus adiutorium ferre differemus.

## XXIX.

Admonere debet fideles, ut assiduitatem & studium habeant orandi; ipse autem orandi modus talis esse debet; Vt primo, dicto symbolo, quasi fidei suæ recensito fundamento, dicat, quisquis est, tribus vicibus, *Qui plas-  
masti me, miserere mei;* & tribus vicibus, *Deus propi-  
tius esto mihi peccatori.* Et compleat orationem dominical-  
cam. Si ergo locus aut tempus exierit, deprecetur sanctos apostolos, sive martyres, ut pro eo intercedant, & armata fronte signo crucis, eleuatis cum corde manibus & oculis, Deo gratias agat; si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus sufficiens est, sufficiat tantum, *Qui plasma-  
sti me, miserere mei;* Et, *Deus propitiarius esto mihi peccatori:* Ibidem.

& oratio dominica tantum cum gemitu & contritione cordis.

## XXX.

Omnienim die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quando amplius possimus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta: *Delictum meum cognitum tibi  
feci, & iniustias non abscondi: Dixi: Confitebor aduersum me ini-  
usticias meas Domino, & tu redemisti impietatem peccati mei.* Fa-  
cta etenim confessione cum gemitu & lacrymis Domino, in oratione recitandus est psalmus quinquagesimus, sive vigesimus quartus, sive vigesimus quintus, atque alii ad rem pertinentes, & sic complenda est oratio; quia confessio, quam sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, qui accepto ab eis salutari confilio, saluberrimis pœnitentiæ obseruationibus, sive \* munitiis, peccatorum maculas diluimus. Confessio vera, quam Deo soli facimus, in hoc iuuat, quia quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum Dominus obliuiscitur: & e contrario, quanto nos horum obliuiscimur, tanto Dominus reminiscitur, dicente eo per prophetam: *Et pec-  
catorum tuorum non meminero.* Tu autem memor esto, quod David propheta fecisse testatur, cum dicit: *Quoniam ini-  
quitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est  
semper.*